

recta, & directio conuersa. Directio directa est, quæ fit secundum successionem signorum. Directio uero conuersa, est quæ fit contra successionem signorum. Ad propositum in directione directa locus anterior est locus significatoris dirigendi, & locus sequens, est locus ad quem fit directio: sed in directione conuersa è contrario. Locus anterior, est locus ad quem fit directio, & locus sequens est locus significatoris qui dirigitur. Et hoc q[uod]a in directione directa, locus ad quem fit directio, mouetur ad locum significatoris dirigendi, sed in directione conuersa fit è contrario, quia locus significatoris dirigendi, mouetur ad locum, ad quem fit directio. Item notandum quod secundum communē opinionē hilech & planetæ directi debent dirigi secundū successionem signorū. Partes uero & planetæ retrogradi debent dirigi cōtra successus signorū, & hoc quia partes & planetæ retrogradi mouentur contra successus signorum. Ptolemæus tamen 3. quadripartiti capitulo 11. uidetur uelle, q[uod] significator dirigē exi fuerit in parte orientali, seu in parte ascendentē, dirigi debet secundum ordinationem signorum solummodo; sed si fuerit in parte occidētali, seu in parte descendēte, dirigi debet non sōpe secundum ordinationem signorū, sed etiā in cōtrarium orientationis signorum. Dicit tamen Halialben. capitulo præal cunto, quod alij sapientes non concordant in hoc. Item sciendū est, quod nisi Planeta, uel stella, ad quam fit directio, fuerit in una linea, uia, uel circumferētia cū significatore qui dirigitur, siue fuerit fortuna uel infortuna, non apparebit multum eius significatio in bono uel in malo. Et hoc quia licet ipse planeta obtinet locū significatoris secundū longitudinem, non obuiat ei secundum latitudinem. Si autem uolueris scire utrum hæc duo loca sint in eadem circumferentia, scias declinationē gradus significatoris, & eius partem, & similiter scias latitudinem significatoris, & eius partem. Et si ambæ fuerint in eadē parte, scilicet, septentrionali uel meridionali, aggrega eas simul: sed si fuerint in diuersis partibus, minime minorem de maiori, & habebis declinationem significatoris ab æquatore æquatam, quæ erit